



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Præfatio Authoris, & Nuncupatio Operis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)

PRÆFATIO
AUTHORIS,



NUNCUPATIO OPERIS.

Problema idem significat, quod *Questio Curiosa*, neque necessariò requirit, ut in utramque disputetur partem, prout in Resolutionibus Academicorum Problematum hodie fieri videmus; sed sufficit, si congrua assignetur responsio, quemadmodum in Problematis suis Aristotelem & Plutarchum fecisse legimus, qui neque multas, neque repugnantes attulere resolutiones; sed simplici, aptò tamen, & ferè inexpectato acquievère responso. Quare & in Problematis hiscè meis vix ultra vicem simplicem, solutionem & solutionis refutationem attuli, sed responsione plerumque unicâ, quam informandis moribus, pietatique promovendæ duxi aptissimam, contentus fui.

Quinque, ex omnibus, Problemata solos spectare Nobiles videbuntur; at possunt & ista variato tantisper titulo Patribus familias & minoribus dijs ità aptari, ut optatissimum proferant fructum. v. g. *Cur pauci Nobiles salventur?* reducatur hypothesis ad thesin, & fiat quæstio: *Cur pauci homines salventur?* sitque responsio: quia JESUM non habent præ oculis, nec verbum DEI in auribus &c. Cur à Dominica Pentecostes cæperim, præter aliorum Authorum consuetudinem, qui à prima Dominica Adventus suas ordiuntur Conciones, causa multiplex intercessit, quarum postrema fuit, quòd cum sæculum hoc Nostrum novitatis sit amantissimum, novi aliquid attentare placuit inchoando ab ea Dominica, quâ adveniens Spiritus Sanctus nova facit omnia renovando faciem terræ, estque difficultatum omnium solutio, omniumque Problematum ingeniosissimus Resolutor.

Nova vocitare Problemata non audeo, quia pleraque ab ingeniosissimo Joanne Sylveira in Quæstionibus Evangelicis insinuata fuisse comperio. *Pleraque*, dixi, quia sat multa hinc reperies, quorum nulla in Sylveira mentio. Et demus Authoris illius esse universa, deductio certè adscribi eidem nequaquam potest, quam ex Manuscriptorum meorum medulla congeffi, ut multarum Concionum succum nervumque in hæc Problemata collectum depromerem.

Non sunt æqualia fateor omnia, sed ut vetus fert versus: sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura. iniqua enim valetudo passa non est, ut æquus singulis nitor cum rerum copia & conceptuum varietate afflueret. Æger Egræ infra trimestre pæne omnia combinavi, calamo pro lingua usus, cum linguâ pro calamo per ægritudinem non possem.

PRÆFATIO

Problematis Emblemata apposui, & quidem in calce, seu fine orationis, ut facile præteriri aut proteri possent, si non placerent. Quod si Meccænatibus non defuisset munificentia, in fronte operis sine dubio collocassem, & quidem bono auctiora numero totam paginam implevissem, sed aliam fixit legem necessitas, & in fine stare Emblemata iussit, quæ fortasse in Fronte erubuissent. vocavi nihilominus Coronamenta, cum ex communi adagio finis *coronet* opus.

Illud insuper addendum est, Emblemata hæc omnia intra unius diei spatium (quod sanctè assevero) nullius libri adminiculo, solius memoriæ beneficio, quâ lecta vel audita aliquando symbola reminiscebar, combinata esse. Quod cum ex singulari Tutelaris mei Genij favore mihi evenisse interpreter & gratus profitear, idcirco Eidem Custodi faventissimo, unâque omnibus Tutelaribus Angelis eorum, qui laborem hunc meum oculis auribusve suis excipient, ad fructum quàm maximum in salutem animarum & Altissimi Numinis gloriam procurandum, cum Emblematis Problemata *Dono, Dedico, Devoveo*.

Vos ò Beatissimæ INTELLIGENTIÆ ob unius Problematis: *Quis ut DEUS?* felicem resolutionem, gratiâ & gloriâ immortalidonati estis, favete ut & omnes qui Problemata hæc mea vestro Nomini devota, evolvere devotè & interpretari benignè dignati fuerint, Gratiae vestrae participes, & Gloriæ coheredes reddantur. Ita mihi illisque in strenam apprecor, exile hoc verò Donativum Favori & Clementiæ vestrae submississimè commendo ac committo. Kalendis Januarijs 1682.

